filium que unigenitum dominum nostrum ihesum christum · toto cordis ac mentis affectu ·
& uocis mysterio personare · Qui pro nobis aeterno patri adae debitum
soluit · & ueteris piaculi cautionem pio cruore detersit · Haec sunt
enim festa paschalia gaudiorum · in quibus uerus ille agnus occiditur
cuius que sanguis postibus consecratur · Haec nox est · in qua primum
patres nostros filios israhel eductos de aegypto · rubrum mare sicco uesti
gio transire fecisti · Haec igitur nox est · quae peccatorum tenebras co
lumnae inluminatione purgauit · Haec nox est · quae hodie per uni
uersum mundum in christo credentes · a uitiis saeculi segregatos · & cali
gine peccatorum · reddit gratiae · sociat sanctitati · Haec nox est in qua
destructis uinculis mortis · christus ab inferis uictor ascendit · Nihil enim
nobis nasci profuit · nisi redemi profuisset · O mira circa nos tuae
pietatis dignatio · o inaestimabilis dilectio caritatis · ut seruum redi
meres · filium tradidisti · O certe necessarium adae peccatum quod
christi morte deletum est · O felix culpa · quae talem ac tantum · meruit
habere redemptorem · O beata nox · quae sola meruit scire tempus
& horam · in qua christus ab inferis resurrexit · Haec nox est · de qua
scriptum est · & nox ut dies inluminabitur · & nox inluminatio mea
in deliciis meis · Huius igitur sanctificatio noctis · fugat scelera · culpas
lauat · & reddit innocentiam lapsis · mestis laetitiam · Fugat odia ·
concordiam parat · & curuat imperia · In huius igitur noctis gratia
suscipe sancte pater · incensi huius sacrificium uespertinum · quod tibi
in hac cerei oblatione sollemni · per ministrorum manus de ope
ribus apium · sacrosancta reddit ecclesia · Sed iam columnae huius
praeconia nouimus · quam in honore dei rutilans ignis accendit ·
Qui licet diuisus in partes · mutuati luminis detrimenta non nouit ·
Alitur liquentibus ceris · quam in substantiam pretiose huius lampa
dis apis mater eduxit · Apis ceteris quae subiecta sunt homini
animantibus antecellit · Cum sit minima corporis paruitate

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_485/0102